

Galli, ut noctem dies subsequatur: idem plane observarunt nostri Britanni. Quod enim Latini septimam, & duas septimanas, dicunt; Illi *Withnos*, id est, octo noctes, & *Pymthec-nos*, id est, quindecim noctes appellant.

Reipublica.

Reipub. formam etiam eandem utraque gens sibi descripsisse videtur. Non enim unius imperio regebantur, sed ut Gallia, sic quoque Britannia plures reges habuit. Utque Galli in rebus difficilioribus publicum gentis concilium egerunt, & unum imperatorem designarunt: idem Britanni præstitisse ex his Cæsaris verbis elici possit, *Summa imperii bellique administrandi communi consilio permissa est* * *Cassivellauno*.

* *Cassibellinus.*
Mores.

Nec dissimiles moribus, & institutis hæ gentes fuerant, nam, ut taceam utranque gentem bellicosissimam fuisse, cædis avidissimam, ad conferenda prælia, deposcendaque pericula eadem audacia, uti ex Strabone, Tacito, Dione, Herodiano, & aliis constat. *Moribus*, inquit Strabo, *partim Gallis similes sunt Britanni; & statim subjungit, instar Gallorum quorundam in bellis gerendis sunt ut plurimum inmanes.* Tacitusque cum eo, *Britanni, qui à Romanis non devicti manent quales Galli fuerunt.* Et alio loco, *Proximi Gallis, & similes sunt Britanni.*

Britanni dimicasse Gallice armatos prodit Mela.

Ad bella effedorum multitudine utuntur Britanni, ut quidam Gallorum, scribit Strabo.

In more fuit utrique genti, in bello ita aciem per nationes struere, ut discreta virtus clarius elucesceret. Hoc Gallos fecisse his verbis testatur Cæsar, *Galli distributi in civitates vada obtinebant.* Quod de Britannis sic confirmat Tacitus in prælio Carataci, *Ceteræ nationum pro munimentis constituerant.*

Galli, inquit Strabo, *ingenio docili, & ad doctrinam prompto fuere, nec minus Britanni, quorum ingenia studiis Gallorum anteferebat apud Tacitum Agricola, ut qui modo linguam Romanam abnuebant, eloquentiam concupiscerent.*

Mente candida & simplici fuisse Gallos tradit Strabo, quod Tacitus de Britannis innuere videtur, cum scribat illos delectum, tributa, & injuncta imperii munera impigre obire, si injuriæ absint.

Mobilitate & animi levitate novis imperiis studuisse Gallos refert Cæsar; Britanni similiter factionibus, & studiis trahebantur, inquit Tacitus.

Ex hac Gallorum mobilitate, quam infirmitatem honestius Cæsar vocat; credulitas tanta in eorum animos irrepsit, ut Gallica credulitas in proverbium cesserit, & Poëta cecinerit:

Et tumidus Galla credulitate fruatur.

Necdum in ea Britanni nostri degenerarunt, qui, vel Milesiis fabulis avidam aurem admovent, & ineptissimis vaticiniis superstitione vel spe, vel sollicitudine statim credunt.

Gallos propinquis, quos violatos viderint, maximè indoluisse legitur apud Strabonem. Eandem sympathiam nostris Britannis præ cæteris gentibus inesse, notius est quàm dici possit, & vulgo cantitatum.

Galli, ut est apud Cæsarem, *uti quisque genere, copiusque amplissimis, ita plurimos circum se Ambactos, id*

Ambacti.

est servos & clientes habuerunt: hanc unam gratiam, potentiamque noverunt. Nec aliam hodie nobiles nostri Britanni gratiam noverunt, à quibus, ut existimatur, Angli tanta assectantium famulorum agmina secum trahere didicerunt; qua in re Europæis omnibus longè nuper antecelluerunt.

Britannorum ædificia Gallicis fuisse consimilia, & sylvis circumdata docet cum Cæsare Strabo.

Galli, ut testis est Strabo, aureos torques collo gesserunt, & *Bunduica Britanna* (inquit Xiphilinus) *aureum torquem tulit, induta tunica variis coloribus distincta.* Nec alibi hodie illud ornamentum magis est in usu, quam in hac insula, & apud nostros Britanos. Britanos & Gallos in re medio digito usos fuisse annulo author est Plinius. Gallos comas aluisse, memorat idem Strabo, & Britanos promisso fuisse capillo testatur Cæsar. Apud plures extat authores Gallos vestimentis quibusdam usos fuisse, quæ *Brachas* patrio sermone dixerunt: hæc & nostris Britannis communia fuisse docet Martialis versiculus,

Bracha.

Quam veteres Brachæ Britonis pauperis.

Omitto quod de Gallis scribit Silius Italicus,

Quin etiam ingenio fluxi. sed prima feroces,

Vaniloquum Celtae genus, ac mutabile mentis:

quia hæc plurimis gentibus sunt communia. Alia attexerem quibus hæ gentes inter se conve nerunt, sed male metuo ne in calumniam à malevolis raperentur. Illudque mihi per placet, Omnia modice & intra modum, & infirmius forsitan videatur, quod hinc ducitur argumentum.

Nunc ad linguam ventum est, in qua maximum est hujus disputationis firmamentum, & certissimum originis gentium argumentum. Qui enim linguæ societate conjuncti sunt, originis etiam communione fuisse conjunctos homo opinor nemo inficiabitur. Quod si omnes omnium historiæ interciderent, & nemo literis prodidisset nos Anglos è Germanis, genuinos Schotos ex Hibernis, Britones Armoricanos à nostris Britannis prognatos fuisse: ipsarum linguarum communitas hoc faciliè evinceret, imo facilius, quam vel gravissimorum historicorum auctoritas. Si igitur præscos Gallos, & nostros Britanos eadem usos fuisse lingua docuero, ejusdem etiam originis fuisse, ut fateamur, ipsa vis veritatis extorquebit. Nec moror quod ipsos Gallos lingua discretos scripserit Cæsar. Dialecto tantum discrepasse docet Strabo. *Eadem*, inquit, *non usque quaque lingua omnes, sed paululum variata.* Cæterum veterum Gallorum linguam eandem cum Britannica fuisse (nisi fortè Dialecti varietate) docet ipse Cæsar, qui scribit moris fuisse, ut Galli qui Druidum disciplinam diligentius cognoscere vellent, in Britanniam ad nostros Druidas proficiscerentur. Cum autem illi libris nullis uterentur, consentaneum est eos eodem, quo Galli, usos fuisse in docendo sermone. Quod Cornelius Tacitus disertius affirmat. *Britannorum*, inquit ille, *& Gallorum sermo haud multum diversus.* Unde in hanc opinionem concesserunt Beatus Rhenanus, Gesnerus, Hottomannus, Petrus Daniel, Picardus, & omnes qui venerandæ antiquitati litarunt, præter pauculos qui Gallos Germanice loquutos volunt, & contendunt. Sed ne quis hac in re nobis pulverem ob oculos spargat, ex auctori-

Lingua.